



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Ebbo Abbas IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

bonitas largita fuisset, Monasterii Schwartzacensis vix nomen restaret, & seges esset, ubi illud nunc excitatum est. Vixit Hardwigus ætate Ludovici & Caroli Imperatoris Junioris, & Arnonis Episcopi Wirceburgensis; eum fatis functum anno 892. excepit

EBBO ABBAS IV.

Is ad clavum Monasterii nostri sedebat Arnolpho, Ludovico, & Conrado Imperatoribus; Rudolpho, aut ut aliis placet, Dracholfo Episcopo Herbipolensi: Et sanè in maximæ felicitatis loco numerare poterat Ebbo, quòd in tempora incidit Episcopi tam pii, & erga Monasterium nostrum, quod ferè ad incitas redactum erat, tam munifici. Nam præter varios pagos multa prædia & vineas nobis liberaliter tradidit, Conrado Imperatore piam Episcopi liberalitatem non laudante modò, sed, edito super ea re diplomate, auctoritate Cæsareâ confirmante. Deinceps tamen insuper habitâ & Conradi Imperatoris & Dracholfi auctoritate bona Monasterii rursus variè distrahebantur; Imò eò demum res nostræ reciderunt, ut abhinc annis omnino octoginta, ad annum sci-

licet Christi 1001. Abbatia vacaret; nisi quòd unius adhuc Abbatis mentionem antiquissima monumenta faciant. Erat is

TRAGULPHUS ABBAS V.

Quem anno reparatæ salutis 912. Monasterii nostri habenas tractasse ex pervetusto quodam Privilegio comperimus: Quâ autem ratione ad hanc dignitatem evectus fuerit, quàmque laudabiliter eam & præclarè gesserit, quo genere mortis & quando extinctus fuerit, obscurum est; hoc unum compertum habemus, illum, quòd magnâ apud Conradum Imperatorem gratiâ valeret, ex perditis bonis magnam copiam suo Monasterio recuperasse; quæ tamen sequentibus annis, pro summa temporum illorum calamitate rursus abalienata fuerunt.

